SOLILOQUIUM DAVIDIS CUM ANIMA SUA,

(Accinente Paraphrasim in 104 *Psalmum*)

De Magnalibus DEI.

25° *Martii* 1678. *fecit*

CASSID. AUREUS MINUTIUS.

IMPRIMATUR,
Guil. Jane.
August 31. 1678.

LONDINI,
Impensis *Thomæ Burrell*, Bibliopolæ, ad Insigne *Pilæ auratæ*, in Templo S^ti *Dunstani* in Vico vulgò vocato *Fleet-street*,
M DC LXXIX.

COLLOQUIUM
DAVIDIS
CUM
ANIMA SUA,
(Accinente Paraphrasim in 104 Psalmum)
De Magnalibus DEI.

25° Martii 1678. fecit
CASSID. AUREUS MINUTIUS.

BRITISH MUSEUM

IMPRIMATUR,
Guil. Jane.
August 31. 1678.

LONDINI,
Sub Thomæ Burrell, Bibliopolæ, ad Insigne Pilæ auratæ, sub
templo Sti Dunstani in Vico vulgò vocato Fleet-street.
MDCLXXIX.

COLLOQUIUM DAVIDI CUM ANIMA SUA,

(Accinente Paraphrasim in 104 *Psalmum*)

De Magnalibus DEI.

D. PRodi Anima, ingentes quæ, parvula, Corporis Artus
Intus agis; luteumque hominem sentire, movere,
Nec solùm esse facis; Cœlestis Flammula prodi,
Cantatura Deum, cujus Magnalia tecum
(Barbiton immensum) resonabunt concava Cœli.

A. Succinere, ah! liceat Sphæris resonantibus; & fas
Sit mihi cordatæ tenues has fundere voces —
Te super-ætheriæ Lucis nitidissimus ambit
Circulus, Angelicos & quæ perstringit ocellos.
Collucent Tua Tecta (Deus!) radiantibus astris;
Sunt Tibi pro Umbrellis Tentoria densa plicatæ
Nubis; & è contrà Tibi sunt pro Lumine Soles
Mille, nec obduci possunt Tua Lumina Soles.
Tendere Iter si quando lubet, Temone, Rotisque
Non vehere, alatos ast urges, Plaustrula, Ventos
Incola sublimis Vasti per inania currit,
Festinans mandata Tui portare Ministris
Ignea visque Tuis, Tua Jussa capescere quorum est.

D. Macte, Anima, ac intende Melos, si Carmine polles,
Plura canas recinasque Deo; dic, Cœlitùs orta,
Ut Tu, æterna, hominis juncta es cum carne caducâ?

Traducem ut igniculus Veneris Te exire Parente
Compulit alterutrò vel utroque? Ut Muculus in ſe
Te caperet tantam? (dicas;) Ut Te evocet almo
Naturæ ex gremio peramœnus motus amantum?

A. Ova quid Humani Generis? quid dicere Punctum,
Me, ſaliens, ſuades? me in meipſum flectere & urges?
Dicere ſufficiat quæ me docuêre miſellam
Senſus, exigua & ratio comprendere fecit.
Tu, Deus, ex nihilo Mundum, Tu creſcere Terram
Ex minimis, facis; & ſtellato fornice Limphas
Fulciri; ſtetere illæ, iratus donec ab alto
Depluere in Terram, & ſceleratum perdere mundum
Lege novâ velles; Tua tunc alterna voluntas
Ultrices jurgavit aquas, & voce tonanti
Juſſit eas merſis ſubitò decurrere clivis,
Vallibus arctarique ſuis, miſeranſque relictos
Noigenas, pulchrâ ſignabas Iride Fœdus:
Supplicio ſimili Te Mundum nolle rebellem
Obruere, æthereis iterum nec mergere Lymphis;
Ut Mare cunque furit, minitetur ſternere rupes,
Littus arenoſum ſimul abſorbere, jacentes
Diluere & Campos; Tu Fluctus limite certo
Compeſcis, poſitamque vetas tranſcendere metam.
Cum ſalſedo Maris ſiccetque uratque bibentes,
Paſcua cùm pecudum procul abſint Tethyos undis,
Tu dulces educis aquas ex gurgite ſalſo
Per guttas minimas, multúmque per Aêra ſparſas
Semine Cœleſti impregnas, dein cogis eaſdem
In denſos imbres, imbreſque in Flumina cogis;
Flumina multiplici flexu ſinuantia ſeſe
Tardiùs ad Stagnum ut redeant, Sol, unde levarat
Æquoreos rores, iterumque iterumque levabit:
Terra bibit Pluvias, atque iiſdem plena ſcaturit
Per Fontes, labiis ſitientibus ubera præbens.
Porro Aqua per Glebas varias, ſalia, atque metalla,
Tranſcolata redit, multi Medicaminis aucta
Dotibus; atque ab humo dein ſic medicata reſurgit:
Reliquiæ inſinuant ſeſe radicibus omnis

Arboris, atque herbæ; Frondes hinc, Tegmina, & Umbræ
Lætarum nidis avium, latebriſque Ferarum.
Hinc gramen Pecudi, atque ex gramine fœna virenti
Solibus æſtivis hyberna in pabula condunt.
Agricolæ hinc panis, veniunt hinc vina Potentum
Deliciæ, Mœſtorum & demulcentia curas:
Hinc Oleum, vultus grato lævore venuſtans,
Conjugibus caſtis fœcundum gignit amorem.
Tu (Deus!) has Lymphis vires----

D. Hem! quid agis? Lymphas tanto conamine dicens?
Nec memoras ignes, longævum Solis & ignem?
Excuſam Silici Scintillam? ut frigida Calci
Suſcitet inſperſa igniculos? Ut temo rotarum
Ardeat à motu? Thermas ut frigida Terræ
Viſcera convomerent? Ut fœna coacta calorem
Conciperent? Liquor ut fermentans ardeat in ſe?
Montibus Ætnæis tantus quare exeat ignis
Dicito, curque ignis res omnes vertat in ignem,
Diſſimiles ſimilem, ſit ut idem fumus, & idem
Sit cinis ex quovis: Cæca hæc Myſteria pandas.

A. Parce precor, facileſque prius depromere ſenſus
Jam liceat mihi, quoque queam decurrere filo.
Non ſolùm plantas, animata ſed omnia nutris,
Hoſpitiiſque (Deus) propriis, domibuſque tueris;
Conceſſiſti etenim ut præcelſa Ciconiæ amœnos
Det nidos Abies, præruptis Montibus abdet
Et recreet ſe Capra, cavis ut Rupium in antris
Cuniculus degat numeroſa prole beatus.
Diverſas Lunæ facies, variumque cadentis
Surgentiſque locum Solis pro tempore aptâ
Menſurâ ſtatuiſti, atque illinc forte petenda
Signa futurarum ſinis & diſcrimina rerum.
Hâc ratione dabas non ſolum lumina Terris,
Ardorem & ſalubrem, ſed mitia frigora Noctis,
Et tenebras etiam, dulci moderamine quorum,
Impatiens Phœbi fera, formidanſque Colonis

Prædatur Noctu, Noctuque Leunculus ambit
Quod voret ad præſens, venturum & ſervet in uſum.
At cum Sol Terras calfecerit, impiger atque
Paſtor luſtrat Agros, prædatrix turba recedit
In latebras, renuens ſpoliatum ferre Colonum:
Non caret Oceanus miris, ibi luſitat ingens
Leviathan, undæ abſorbens efflanſque viciſſim
Immanes fluvios; tortæque vibramine caudæ,
Iraſcens, ludens, fluctuſque rateſque flagellat:
Te tamen haud ſpernit grandis Balæna, Gigantum
Rex Squamoſorum, at trepidans tua munera quærit:
Te claudente manum cunctis animantibus atra
Nox, morti ſimilis, mœſtiſſima Mortis imago,
Incubat; è contrà palmas pandente benignas
Te (Deus!) omnigenis redit illicò læta venuſtas,
Flaccida conturgent, atque arida quæque vireſcunt.

D. Euge Anima! at Mare dum ſpectas, ne oblita ſtupendi,
Utilis & Magnetis, eas; ſed voce canorâ
Magnetem celebres, animatam vimque ſcientis
Enarres Lapidis, Lapidique ut tanta poteſtas
Dicito, ut ille facit quod Sydera mille nequibant:
Nocte perobſcurâ, ſeſe occultantibus Aſtris,
Ut Ratis incolumis, facili, per devia, curſu,
Æquora ſcindat iter, Magnete docente viarum
Errores, Magnes utque Orbi junxerit Orbem.
Mercurium Terræ, ſiccumque memento liquorem
Dicere, ſolari cupientem adnaſcier Auro,
Pondere pollentem, facilem ſed in aëra tolli,
Clauſtris ſtringendum nullis, mutabilem, & omnem
Qui oblatam capiat, nullam teneatque Figuram;
Quique coloratum ſimulet quodcunque, colorem
Exuat indutum quemvis, repetatque repoſtum:
Ut Plumbum referat, Chymicis dum ſuadet avaris
Aurum ſe eſſe; Luis ſanioſæ utque ulcera ſanet,
Queis temerata Venus Mœchorum læſerat artus:
Qui fugit atque manet, qui nuſquam & ubique videtur
Terreſtris Dæmon, Mineralis Proteus Orbis.

A. Parce iterum, mihi namque illud, quo talia poſſem,
Deficit Ingenium ; ſatis eſt quo ardere benigni
Poſſit amore Dei, quo Numina Sacra vereri,
Quo tremat omnis homo ; dictum eſt ſatis atque ſuperque,
Intereà volvam quæ dîxti opera Omnipotentis.
Noctes atque dies mea ſomnia, verbaque, de Te
Semper erunt (Deus Alme Pater) mea lingua ſonabit
Te ſolum, Pectuſque meum, Teſtudinis inſtar,
Cum Fidibus, Cordis Fibrillis, cumque ſonoro
Pulmonum flatu reſonabit Te (Deus Alme!)
Corporis immo mei quævis Arteria fiet
Fiſtula, & apta Modis, dulcique ſimillima avenæ,
Quâ potero laudare Deum, Dominumque, Patremque.
Impius intereà pereat, nec ſede fruatur
In Terris ſtabili : Rogitaſne, quis Impius? Ille eſt,
Qui neque Geſta notat, nec cogitat Ardua Summi,
Aut qui commoriens ea non ecciniſſe feratur.

D. Siccine Cœligena ? audaces ergo inſere Pennas,
Queis Cœlum advolites, Telluris & infima, necnon
In medio ſita, quoque voles accedere poſſis.
Imprimiſque juvet ſpectare, Geometra Gens ut
Mellificet, flavaſque Domos quâ conſtruet arte;
Ut muros Rhombi concinno tegmine claudant
Sclateros trini, minimis cum ſumptibus, atque
Tegmina ut opponi, ac uniri, talia poſſint ;
Utque domus ſimilis perplurima compleat omnem
Areolam, atque ut Apum Reſpublica tota geratur.
Contemplare dein caſſes netricis Arachnis ;
Horrea Formicæ ; mucoſis filaque Vermis
Edita corporibus, Bombycum è viſcere Glomos.
Cernendo ut ſaturi, clamemus, proh Deus alme !
Tantæ animæ ſi tantillis animantibus inſint,
Quantæ homini? Quantæ illis quintuplicis Jovis Orbes
Magnos, quique colunt Veneris, Lunæque minores ?
Aut qui convexi Stellarum Fornicis urbes
Longinquas habitant, Cryſtallini & oppida Cœli?
Siſte gradum ; ſtupeo! ſublimis Abyſſus Abyſſos

Invocat; & quales humanæ non Bilis ulla
Mensuret mentis, nec percipit ulla cohortis
Angelicæ peracuta acies: Ne plura loquaris,
Nec juvet ulteriùs vano indulgere labori.
Ergo Anima admirare Deum, solumque precare:
Te capiat clemens; Tu cui capiendo misella
Impos & impar eris semper, temerantibus & Quem
Cæcutias scrutans oculis: Mihi parce procaces
Hos qui conatus suasi; cunctare parumper,
Sic poteris meliùs, me, exuto corpore, meque,
Sarcinulâ positâ, nimios hos ferre labores.

FINIS.